



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

4 Quo differat respectus prædicamentalis à transcendentali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

etione prima proposita. Et potest confirmari nam in genere substantiæ materia & forma habent inter se veram & realem habitudinem essentialiter includentem in proprio esse illarum, & ideo una definitur per habitudinem ad aliam, & inde accipiunt specificationem suam. Eademque ratio est de potentiis accidentibus per se primo institutis & ordinatis ad suos actus: & de habitibus operatiuis, de quibus supra ostensum est, natura sua specificari per habitudinem ad actus vel obiecta: quia nimirum in suo esse includunt veram habitudinem ad actus, & illis mediantibus ad obiecta: ergo hi respectus transcendentales sunt veri & secundum esse reale earum rerum quibus conueniunt. Quocirca sicut inductio facta nititur in communioribus, magisque receptis sententiis, ita hæc doctrina communiter à doctoribus approbata celsenda est. Præsertim vero in favorem eius noranda sunt verba Diui Tho. p. 1. q. 28. art. 1. ubi sic scribit: *Ea quæ dicuntur ad aliquid significant secundum propriam rationem solum respectus ad aliud, qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rei, utpote quando aliqua dua res secundum naturam suam ad inuicem ordinata sunt, & inuicem inclinationem habent, huiusmodi relationes oportet esse reales, sicut in corpore graui est inclinatio & ordo ad locum medium: unde respectus quidam est in ipso graui respectu loci medi, & similiter est de aliis huiusmodi.* Hæc enim ratio D. Thomæ æque aut maxime procedit de respectu transcendentali: nam, secundum illum præcipue inueniuntur res ad inuicem ordinatæ. Et quidem exemplum D. Tho. optime intelligitur, ac verificatur de respectu transcendentali, nam grauius inclinatio & propensio ad locum medium, non pertinet ad prædicamentum relationis, sed qualitatis, nam est propria essentia talis qualitatis.

IX. Obiectio. Dices, nullus realis respectus includitur in conceptu rei absolutæ, sed hic respectus transcendentalis includitur in conceptu rei absolutæ: ergo non est verus respectus secundum esse, sed tantum secundum modum loquendi & concipiendi nostrum: hoc enim possimum argumento nituntur, qui ita sentiunt de his respectibus transcendentalibus, ut solum in verbis consistere arbitrentur. Aliqui vero respondent, & sumi potest ex Scotto in 4. d. 12. q. vnica huiusmodi respectus consequi ad res absolutas, non vero esse de intrinseca ratione illarum. Hæc enim de causa negat Scotus, in hærentiam aptitudinalem esse de essentia accidentis, quia est verus respectus. Iuxta quæ responsionem, hi respectus non essent extra latitudinem prædicamenti ad aliquid, unde nec possent dici proprie transcendentales, neque de prædicamentis talibus distinguui, quia non est contra rationem determinati prædicamenti, ut res in illo contentæ consequantur ex rebus aliorum prædicamentorum, si non sunt de essentia earum, sed proprietates consequentes illas. Melius tamen responderetur cum Caietano de ente & essent. c. 7. q. 15. non esse contra rationem rei absolutæ ut in sua essentiali ratione includat respectum transcendentalem, suæ naturæ proportionatum, nā reuera inherencia aptitudinalis non est proprietas consequens naturam accidentis, sed est intrinseca essentia eius, ut in superioribus ostensum. Quinimo verisimile est, in entibus creatis nullum esse ita absolutum, quin in sua essentia intime includat aliquem transcendentalem respectum, saltem quatenus est ens per participationem, per se essentialiter pendens ab ente per essentiam: Nam licet ipsa actualis dependentia sit aliquid ex natura rei distinctum ab ipso ente creato, tamen ipsa aptitudo & necessitas dependendi est intrinseca & essentialis illi: non videtur autem posse concipi, aut esse sine transcendentali respectu & habitudine ad illud à quo pendet, in quo respectu maxime consistere videtur potentialitas & imperfectio entis creati ut tale est.

XIII.

Quidquid vero sit de completis entibus ut sunt integre substantiæ, præsertim simplices & immateria-

les, quæ inter creata entia videtur maxime absoluta, ex reliquis omnibus quæ incopleta dicuntur, nullum est ita absolutum, ut non includat essentialiter aliquem transcendentalem respectum. Et ratio est, quia omnia illa ex natura sunt instituta ad aliud, seu propter aliud, nam materia est propter formam, forma vero est ad actuadam materiam & complendum compositum & accidens est ad substantiam, & sic de reliquis. Vnaquæque autem res accipit modum entitatis accommodato suo primario fini & institutioni: quia ergo omnes hæc res per se primo ordinantur ad alias, ideo talem modum entitatis accipiunt, ut intime includant habitudinem ad aliud, & hæc est propria habitudo seu respectus transcendentalis, sunt ergo inter reales habitudines veras, & secundum esse aliquæ transcendentales, quæ ad speciale prædicamentum reuocari non possunt: & ideo à prædicamentis distinguuntur.

SECTIO IV.

Quomodo differat prædicamentalis respectus à transcendentali.



Ed iam occurrit magna difficultas in explicanda differentia inter hos duos ordines respectuum, & consequenter in explicanda ratione, ob quam necesse sit præter transcendentales respectus prædicamentales admittere.

Proponuntur nonnulla discrimina inter dictos respectus

V Ariz igitur possunt excogitari differentie inter huiusmodi respectus. Prima, & quæ plures includit, est, quia relatio transcendentalis, non requirit eas conditiones, quas postulat prædicamentalis relatio, quæ præcipue sunt tres, ut infra videbimus. Prima quod relatio prædicamentalis requirit aliquod fundamentum reale absolutum, ut similitudo albedinem, paternitas vim generandi seu generationem, secunda, quod requirit terminum realem & realiter existentem: tertia, quia petit distinctionem realem, vel saltem ex natura rei inter fundamentum & terminum. At vero respectus transcendentalis nullam harum conditionum per se requirit. Nam diuina scientia, verbi gratia, habitudinem transcendentalem dicit ad diuinam essentiam, ut ad proprium obiectum, & diuinus amor ad diuinam bonitatem, & tamen inter ea nulla est distinctio ex natura rei, sed rationis tantum: Rursum transcendentalis respectus non semper requirit realem terminum, sed interdum esse potest ad ens factum, seu rationis, vel ad extrinsecam aliquam denominationem, ut conceptus rei cogitatio de ente rationis, seu priuatione, ut sic transcendentalis habitudinem dicit ad illud obiectum, quod tamen ens reale non est. Sæpe etiam hic transcendentalis respectus, licet sit, ad terminum realem, non tamen requirit realem existentiam eius, ut scientia de futuro eclipsi dicit habitudinem realem transcendentalem ad illam, quamuis non existat, & idem est in qualibet scientia de obiecto possibili, & de potentia respectu actus non existentis. Denique hic respectus transcendentalis nullum requirit fundamentum: respectus enim transcendentalis materiz ad formam nullum habet fundamentum, sed intime includitur in ipsa materia. Et idem est de respectu forme ad materiam, scientia ad obiectum, & similia. Et ratio est manifesta, quia hic transcendentalis respectus non aduenit alicui rei iam constitutæ in suo esse essentiali, sed est quasi differentia constitutus, & complens essentiam illius rei cuius respectus esse dicitur. Et ideo, sicut illa res cum sit absoluta, non requirit aliud fundamentum

tum ut sit, præter proprium subiectum, si fortasse sit accidentalis entitas, ita etiam hic respectus transcendentalis non prærequirit fundamentum aliud, sed constituit potius ipsam rem, quæ potest esse fundamentum aliarum relationum prædicamentali-
 III. Atque hinc colligi potest aliud discrimen, nam relatio prædicamentalis est quædam forma accidentalis, adueniens fundamento plene constituto in suo esse essentiali & absoluto, ad quod comparatur ut completa forma in suo accidentali genere, afficiens ipsum & referens ad aliud. Respectus vero transcendentalis nec comparatur ut accidens, neque ut completa forma ad illam rem, quam proxime actuat, & eius est respectus: sed comparatur ut essentialis differentia, & consequenter ut ens incompletum in illo genere, ad quod pertinet illa res quam actuat vel constituit, eamque non proprie refert ad aliud per modum Physicæ formæ sed illam constituit per modum Metaphysicæ differentiæ, ut ordinatam vel re-
 latam ad aliud.

Obiectiones contra positas differentias

IV. Sed hæc differentie partim veræ non sunt, partim non videntur satis facere. Nam quod in prima differentia dicitur inueniri transcendentelem respectum eiusdem rei ad se ipsam propter solam distinctionem rationis, verum non est, alias dici etiam posset identitatem rei ad se ipsam esse transcendentelem respectum, & ad illum sufficere distinctionem rationis. Quod si dicas, requiri distinctionem rationis rationata, & fundatam in re saltem sequitur, inter rationem genericam & specificam esse respectum reale transcendentelem actus & potentie quia genus & differentia distinguuntur ratione cum fundamento in re. Item exempla adducta falsa sunt, nam scientia, vel amor Dei non dicit respectum realem etiam transcendentelem ad ipsum Deum ut ad primum obiectum, sed potius illa scientia & amor, sunt absolutissima ab omni respectu reali, quia per se primo non respiciunt aliquod obiectum extra se. Vnde si-
 V. cut sibi non distinguuntur actus & obiectum nisi ratione, ita nullus interuenit respectus actus ad obiectum nisi rationis. Et ratio vniuersalis est, quia cum respectus & habitudo sit veluti tendentia quædam ad aliud, non potest inuenire verus & realis respectus eiusdem, ad se ipsum, nulla in re interueniente distinctione saltem ex natura rei.

Quod vero vltius dicitur, transcendentelem respectum interdum esse posse ad ens rationis, est quidem verum quædo ille respectus est ad aliquid quod se habet per modum obiecti, in quo sufficit esse obiectum, ut possit habere rationem termini transcendentalis habitudinis. Et eadem ratione vera est etiam alia pars, nimirum, posse interdum transcendentelem respectum tendere in rem seu essentiam realem, nondum actu existentem, quia etiam ad rationem obiecti sufficit sæpe esse essentia, absque esse existentia. Veruntamen non est in vniuersum verum, quod nullus respectus transcendentalis requirat terminum realem & realiter existentem, nam in primis actus visionis vel intellectus creatæ intuitus & naturalis, dicit transcendentelem habitudinem ad rem actu existentem, neque sine illa potest naturaliter esse aut conservari. Deinde, modus actualis visionis dicit transcendentelem respectum ad terminum seu extremum visionis in quo requirit & realitatem, & actualem existentiam, ita ut neque esse, nec intelligi possit actualis visio realis, nisi actu existat res ad quam fit visio, ut in superioribus sæpe tractatum est. Actio etiam ut actio, & passio ut passio dicunt transcendentelem respectum ad reale agens, vel patiens actu existens, sine quibus neque esse, neque intelligi possent. Ac denique creatura, præcisa relatione prædicamentali ex hoc solum quod est ens participatum & de-
 Tom. II. Metaphys.

pendens, dicit essentialem habitudinem transcendentelem ad primam efficiens, & ad ens per essentiam actu existens. Non est ergo de ratione transcendentalis respectus ut non requirat in termino realem & actualem existentiam. Ergo ex illo discrimine solum habetur, inter transcendentes respectus quosdam esse, qui terminum realem vel actu existentem non requirunt etiam si sint alii, qui huiusmodi terminum habent & possunt, in quibus non habet locum illa secunda differentia.

Quod si dicas differentiam consistere in hoc, quia respectus transcendentalis ex se non requirit talem terminum, licet ex peculiari aliqua ratione possit illum habere: respectum autem prædicamentalem ex adæquata ratione sua postulare, huiusmodi terminum instari contra hoc potest, quia hæc doctrina supponit, inter respectus ad terminos realiter existentes, quosdam esse transcendentes, & alios prædicamentales, qui differunt in ratione ob quam requirunt talem terminum. At vero hoc ipsum est quod inquirimus, quodque non satis videtur explicari, scilicet, quanam sit hæc diuersa ratio in his respectibus postulantes similem terminum, & quanam sit necessitas multiplicandi illos. Quandoquidem distinctio illa respectuum transcendentalium habentium terminos reales vel non reales, existentes vel non existentes, sufficiens videtur ad quascunque rerum habitudines declarandas.

Præterea quod de fundamento reali asserbatur, non minus obscurum & incertum est. Primo quidem, quia non omnis relatio prædicamentalis requirit fundamentum reale ex natura rei distinctum a suo subiecto, sed solum illa quæ medio aliquo accidente substantiæ conuenit. ut patet de relatione identitatis specificæ inter duos homines, vel animas, verbi gratia, quæ censetur relatio prædicamentalis, & immediate fundatur in ipsa natura substantiali, de quo infra latius. Deinde, relatio prædicamentalis, quæ conuenit substantiæ medio accidente, quamuis comparata ad substantiam dicatur habere aliud fundamentum proximum, nempe illud accidens, quo mediante conuenit substantiæ, tamen respectu ipsiusmet accidentis immediate & sine alio fundamento illi conuenit, ut similitudo albedini: alioqui procedendum esset in infinitum. At vero idem proportionaliter reperitur in relationibus transcendentalibus: nulum ergo est illud discrimen. Declaratur minor, nam si quæ sunt relationes transcendentes in ipsis inter substantiis inclusæ, illæ non requirunt aliud fundamentum, tamen multæ aliæ sunt, quæ non conueniunt substantiæ, nisi mediis accidentibus, & illæ respectu substantiæ etiam habent fundamentum, quamuis respectu accidentis illud non habeant, sed immediate talibus accidentibus conueniant. Ut relatio scientiæ ad seibile conuenit scientiæ mediante scientia, ipsi autem scientiæ immediate inest. Ergo in necessitate fundamenti nullum videtur esse discrimen inter respectus transcendentes & prædicamentales.

Vltima denique differentia etiam est difficilis ad explicandum, nam vel respectus comparatur ad formam, vel essentiam proximè constitutam per ipsam, vel ad subiectum talis formæ. Si priori modo fiat comparatio, tam respectus prædicamentalis, quam transcendentalis, est essentialis formæ vel essentia per ipsum constituta, & comparatur ad illam ad modum differentia constituentis ipsam. Vnde etiam loquendo de ipso summo genere relationis prædicamentalis, constitui dicitur per ipsum esse ad, tanquam per essentialem modum determinantem communem rationem accidentis, & formaliter ac essentialiter constituentem talem essentiam: ergo in hoc non est differentia inter respectum transcendentelem & prædicamentalem. Si vero posteriori modo fiat comparatio, sicut respectus prædicamentalis est accidentis

VI.

VII.

VIII. Contrarietatem aliam differentiam obiecto.

his alicui subiecto, etiam potest esse respectus transcendentalis, ut respectus scientiæ ad obiectum, licet sit essentialis scientiæ, est tamen accidentalis scientiæ. Vnde licet ille respectus Metaphysice consideratus, non sit forma Physica referens subiectum ad aliud, sed differentia constituens aliquam formam, tamen illa forma constituta per talem respectum, est forma Physica respectiva, referens subiectum ad suum terminum. Neque enim potest forma respectiva informare aliquod subiectum secundum ultimam rationem suam, quin illud referat ad terminum, quem ipsa suo modo respicit. Vt in exemplo de gravitate, quod supra ex D. Thoma afferebamus, sicut gravitas est inclinatio ad infimum locum, in quo includit respectum transcendentalem ad illum, ita afficiendo seu informando ipsum graue, inclinat illud, & hoc ipsum est referre illud in centrū. Et idem est de quacunque potentia, & scientia, & similibus. Valde ergo obscurum & difficile est ex his differentiis proprias rationes relationis transcendentalis & predicamentalis, & earum discrimen, & veram necessitatem admittendi relationes predicamentales præter transcendentales colligere.

Alia differentia inter dictos respectus, à Caietano tradita expenditur.

XI.

A Liter ergo Caietanus in Opusc. de ente & essent. cap. 7. quæstione 15. attingens hanc diuisionem. respectuum realium in transcendentales & predicamentales, differentiam inter illos declarat ex parte terminorum: nam respectus predicamentalis (inquit est, qui respicit terminum pure sub ratione termini: transcendentalis autem respicit aliud, non ut pure terminum, sed sub aliqua alia determinata ratione, vel subiecti, vel obiecti, vel efficientis, aut finis. Quæ differentia aprior videtur ad hanc rem declarandam, quia omnis respectus sumit speciem suam à termino, seu ab ea re, ad quam tendit: & ideo si quod est discriminē inter hos duos ordines respectuum, ex terminis desumendum videtur. Non est tamen facile ad explicandum, quomodo assignata differentia generalis sit, & in quo proprie consistat, seu quid per eam importetur. Ratio difficultatis circa priorem partem est, quia motus, actio, & passio, dicunt transcendentalem respectum ad terminum, & tamē non respiciunt illum, nisi sub pura ratione termini. Item vnio, verbi gratia hypostatica dicit transcendentalem habitudinem ad verbum diuinum, & tamen non respicit illud, nisi sub pura ratione termini. Ratio vero difficultatis circa posteriorem partem est, quia omnis respectus, si abstracte & in communi sumatur, solum dicit habitudinem ad aliud sub ratione termini, abstractendo ab aliis rationibus, si vero sumatur contrahe, ut est talis vel talis respectus, siue transcendentalis ille sit, siue predicamentalis, dicit habitudinem ad talem terminum, qui sit vel causa, vel effectus, vel obiectum, vel aliam particularem rationem termini habeat. Vt respectus paternitatis, etiam si predicamentalis dicatur, respicit talem terminum, qui sit effectus, vel productus à patre, & sic de aliis.

Positum discrimen defenditur, & probatur.

x.

R Espondetur tamen ad priorem rationem laborare in æquiuoco. Nam relatio predicamentalis dicitur respicere aliud ut pure terminum, quia circa illud nullum aliud munus exercet, nisi respiciendi tantum. Hoc autem modo non potest dici motus, aut actio, vel passio esse purus respectus ad terminum, nam habitudo motus ad terminum, est habitudo viæ, per quam ipse terminus in esse constituitur: vnde non dicit habitudinem ad terminum ut respiciendum tantum, sed ut constituendum per ipsum,

& ita non respicit ut pure terminum in prædicto sensu: atque idem est proportionaliter de actione & passionem vnio vero hypostatica dicitur à Theologis attingere Verbum ut purum terminum, ut per illam particulam purum excludant omnem causalitatem propriam, quam Verbum, ut sic habet circa talem vnionem, non est tamen Verbum pure terminum: & vnionis in eo sensu, in quo hic dicitur de termino relationis predicamentalis, quia illa vnio: ut est realis modus humanæ naturæ, non utcunque respicit Verbum, sed realiter illi coniungit humanam naturam, & realiter attingit Verbum ipsum tanquam alterum extremum illius vnionis, à quo intime & realiter pēdet, quamuis sine propria causalitate. Sicigitur vniuersaliter conuenit formæ, vel modo absoluto includendi respectum transcendentalem, aliquod reale munus exercere circa illum, ad quem dicit respectum, vel causando, vel vniendo, vel representando illum, vel aliquid aliud simile efficiendo: & hac ratione dicitur non respicere illum ut pure terminum. At vero relatio predicamentalis ita respicit terminum, ut circa illum nullum aliud munus exercet, nisi pure respicere, ut patet in similitudine vnus albi ad aliud: & hoc modo dicitur esse proprium talis relationis respicere aliud ut pure terminum.

Vnde etiam patet responsio ad alteram rationem, in qua etiam laboratur in æquiuoco. Nam respicere aliud ut pure terminum, non est respicere terminum abstracte & in communi, ut videtur in argumento supponi, constat enim, predicamentales relationes specificas & diuersarum rationum, tendere etiam in terminos particulares & diuersarum rationum. Omnibus tamen illis commune est, ut circa illos terminos, etiam ut tales sint, nullum aliud munus exerceant, nisi respiciendi illos, & ideo semper nos respiciunt ut pure terminos, etiam si sub propriis eorū rationibus eos respiciant. Quod fecus est in respectu transcendentali, ut declaratum est. Sic ergo explicata illa differentia, vera & vniuersalis esse videtur: recteque explicare proprium munus relationis predicamentalis, quod est referre formaliter, seu respicere aliud à munere & officio respectus transcendentalis, quod est constituere formam vel naturam, aliquid causantem, vel operantem aliquo modo circa rem ad quam dicit habitudinem, vel è conuerso.

Aliud discrimen ex præcedenti colligitur.

A Tque hinc oritur alia differentia communiter recepta, quæ licet à posteriori esse videatur, confert tamen ad explicandam naturam horum respectuum. Respectus ergo predicamentalis talis est, ut à natura non sit per se intentus, & ideo nunquam per se fit ex vi actionis alicuius agentis, sed consequitur posito fundamento & termino, teste Aristotele 5. Physicorum, cui in hoc ceteri consentiunt. At vero respectus transcendentalis sæpe est per se maxime intentus à natura, & ideo forma essentialiter includens talem respectum sæpe fit formaliter, ac per se primo per actionem propriam, per calefactionem verbi gratia, fit calor ut inhxrens, in quo intime includitur transcendentalis respectus; & per actionem videndi fit actus includens in transcendentalem habitudinem ad obiectum, & per actionem vniuiam fit modus vnionis, qui includit transcendentalem habitudinem ad vniuersalia: idemque in multis aliis videre licet. Et hoc ipsum fortasse est, quod Scotus distinxit de relationibus extrinsecus, & intrinsecus ad uenientibus, dicens, ad priores esse terminari per se actionem, non vero ad posteriores, quæ solæ sunt predicamentales. De qua diuisione sub illis vocibus dicemus disputatione sequenti, quæ erit prima de sex ultimis predicamentis, propter quæ videtur Scotus pgrissimum inuenisse distinctionem illam. Quæ sub

sub illis vocibus non est nobis necessaria, & res ipsa non limitatur ad sex ultimâ prædicamenta, sed in aliis etiam inuenitur, ut ibi videbimus.

Ratio ergo huius discriminis inter relationes prædicamentales & transcendentales est, quia relatio prædicamentalis non est in rerum natura instituta ad aliquod peculiare munus obeundum, sed ad hoc solum res alias comitari dicitur, ut aliquæ res sese respiciant ex vi alicuius rationis, seu fundamenti realis, quod in ipsis supponitur, & ideo talis relatio nihil aliud est quam respectus confurgens posito fundamento & termino, nunquam autem per se fit. Respectus autem transcendentalis conuenit alicui formæ vel entitati, aut modo entis, quatenus à natura per se est institutus & ordinatus ad aliquod peculiare munus, quod potest per se intendi per aliquam actionem: & ideo ille etiam respectus potest per se fieri per actionem, ut inclusus in forma dicente talem respectum. Cum enim talis forma in proprio & specifico conceptu illum respectum includat, non potest ille respectus minus esse per se intentus, aut minus per se fieri, quam ipsa forma: cum actio & intentio agentis per se tendat ad totam formam, usque ad specificam rationem eius.

Aliud discrimen inter dictos respectus.

Et hinc etiam fit, ut relatio pura & prædicamentalis nunquam sit principium agendi, tum quia, sicut nunquam per se fit, ita etiam nunquam per se agit, tum etiam quia, ut diximus, non est instituta à natura, ob aliquod peculiare munus per se necessarium ad esse, vel fieri rei, sed solum est quidam respectus ex consequenti resultans: principia autem agendi sunt per se instituta, & ad peculiare munus ordinata. At vero forma dicens respectum transcendentalem secundum propriam etiam rationem respectum, hæpe est principium per se agendi, ut patet de scientia, potentia, & similibus.

Quarta differentia, & aliarum explicatio.

Andem ex his intelligitur, respectum prædicamentalem concipiendum esse tanquam formam quandam minimam & accidentalem, quæ non dat subiecto aliquod esse, nisi respicere aliud, neque ad aliud aliud in natura deseruit. Respectus autem transcendentalis non est concipiendus tanquam integra forma, cuius munus sit tantum referre, sed est essentialis modus, seu differentia alicuius formæ seu entitatis, quatenus ad causandum aliquo modo, vel operandum circa alia, per se primo instituta est, vel è conuerso, quatenus ab alia essentialiter pendet. Et iuxta hanc rationem explicandi hos respectus, potest ad eundem sensum reduci differentia superius tacta quod respectus transcendentalis semper est intrinsecus & essentialis alicui entitati, sub entitate modos etiam reales comprehendendo: relatio autem prædicamentalis habet propriam & peculiarem rationem accidentis. Et ita etiam possunt ad conuenientem sensum reduci duæ aliæ differentie sumptæ ex parte fundamenti, & realitatis, seu existentie termini.

Quæ relationes sint prædicamenti ad aliquid.

Andem ex his differentiis concluditur, respectus transcendentales, etiam si vere sint in rebus secundum proprium esse eorum, non pertinere ad vnum aliquod speciale prædicamentum, quia res illæ, seu naturæ, vel essentia quibus conueniunt, ad varia munera, & interdum primo diuersa ordinantur, ideoque ad varia prædicamenta reuocantur, iuxta diuersas eorum condiciones & naturas. Et ideo prædicamentum ad aliquid solas illas relationes co-

plectitur, quæ proprie ac peculiariter prædicamentales appellantur, nam omnes illæ inter se conueniunt, & ab aliis distinguuntur in peculiari modo pure referendi rem quam afficiunt. Et ideo generatim etiam conueniunt in modo quo esse incipiunt per coexistentiâ extremorum, seu fundamenti & termini, & in aliis conditionibus quas requirunt, ut ex discursu sequentis sectionis magis constabit.

Responsio ad quartam difficultatem, ex sectione prima relictam.

Ex his etiam soluta relinquitur difficultas tacta in Argumento quarto primæ sectionis. Nam respectus illi, in quibus ibi fit inductio, omnes sunt transcendentales, & ut sic fatemur non pertinere ad speciale prædicamentum. Vnde in illo speciali exemplo, quod ibi tangitur de scientia, quatenus dicitur respectum ad scibile, facior responsiones ibi tactas ex Aristotele, capit. de qualitate, magnam habere difficultatem. Nam prima videtur satis improbare objectionibus ibi factis: quæ confirmari possunt testimoniis eiusdem Aristotelis 4. Topicorum, cap. 1. loco 4. ubi generatim agit, genus & speciem in eadem diuisione, scilicet prædicamentali esse oportere: & in particulari adhibet exemplum de Ad aliquid. Nā genera (inquit) eorum quæ sunt ad aliquid, oportet habere species quæ sint etiam ad aliquid, & è conuerso, & idem ait de qualitate idemque repetit 5. Topicorum, cap. 4. loco 39. ubi sic ait: Amplius in his quæ ad aliquid sunt, considerandum, si ad quod genus assignatur, & species ad aliud quoddam assignatur, ut si opinio & opinatum, & quædam opinio ad quoddam opinatum, si autem non sic assignatur, manifestum, quoniam peccatur. Idem denique patet ex regulis positis ab Aristotele in antepædicament. c. 3. præsertim illa. Genera non subalternatim posita, non habent easdem differentias. Et in præfati latius constat ex re ipsa: nam qualibet scientia secundum propriam & specificam rationem suam dicit propriam habitudinem ad suum proprium obiectum. Quod enim Soto ait in prædicamento qualitatibus, exponens illum locum Aristotelis, licet scientia ut sic dicat habitudinem ad scibile, ut mensurabile ad mensuram, tamen scientias particulares non dicere proprias relationes mensurabilis ad propria obiecta. Hoc (inquam) falsum est, & contra expressa verba Aristotelis in dicto loco sexto Topicorum, & contra manifestam rationem. Nam sicut veritas scientiæ in communi mensuratur ex obiecto scibili in communi, ita veritas huius scientiæ ex hoc obiecto scibili. Item, quia determinata scientia sumit suam speciem ex habitudine ad suum obiectum: ergo non solum ut scientiam, sed etiam ut talis scientia dicit respectum ad tale scibile.

Quare dicendum est, Aristotelem non approbasse illam primam responsionem, & ideo addidisse secundam, nimirum, eandem rem, quæ est scientia, in diuersis prædicamentis collocari, scilicet, qualitatibus, & Ad aliquid, utique sub diuersis rationibus, nam sub vna & eadem non potest vna res in diuersis prædicamentis constitui. Sed contra hanc etiam responsionem non parum virgent objectiones superius appositæ: & ideo aliqui sentiunt, Aristotelem ibi non ex propria sententia esse locutum, sed iuxta opinionem eorum, qui amplectebantur primam definitionem relationum, quam in cap. de ad aliquid tradiderat, scilicet omnia quæ ad aliquid aliquo modo dicuntur, esse de prædicamento ad aliquid. Nam iuxta illam ibidem subiunxerat, habitum, dispositionem, & scientiam esse ad aliquid: postea vero illam definitionem non approbat, & ideo neque censendus est approbare omnia, quæ ex illa consequuntur, quamuis insinuet quomodo iuxta illam consequenter loquendum sit. Nec vero satis facit alia responsio, quod hæc sint tantum relatiua secundum dici, nam sufficienter ostenditur, in proprio esse harum rerum includi re-

XVII.

Scientia, an secundum Aristotelem sit de genere relationis.

Singulas scientias ad singula obiecta referri oportet.

XVIII.

pectum. Vera ergo responsio est illa, quæ ultimo loco in eodem argumento quarto proposita est, nimirum, scientiam, & alia huiusmodi entia secundum essentialiam suam rationem non dicere respectum prædicamentalem, sed transcendentelem tantum, & ideo ut sic non pertinere ad prædicamentum ad aliquid. Quatenus vero scientia adiungi potest aliquis purus respectus accidentalis, & extra essentialiam eius, ut sic non pertinere ad prædicamentum qualitatis, sed ad aliquid. Iuxta quem sensum posset etiam explicari secunda Aristotelis responsio.

XX.

Erat vero ultima replica, quæ per interrogationem fiebat in illo quarto argumento, scilicet, quid necesse sit huiusmodi respectus accidentales & prædicamentales adiungere, & admittere, præter transcendentales. Si enim attente considerentur rationes, quibus à Doctoribus probari solet, dari relationes reales, illæ certe maxime probant dari in rebus huiusmodi respectus reales secundum esse, ut maxime videre licet apud Dium Thomam in 1. parte questionis 13. art. 7. & questione 28. art. 7. & questione art. 1. & 2. & Scotum in 2. distinctione 1. & alios supra citatos. Sed vero præter relationes transcendentales dunt prædicamentales, ab illis distinctione non videtur posse demonstrari. Nihilominus tamen sufficit communis Philosophorum consensus, ut ab ea sententia nullo modo recedendum sit. Ratio autem introducendi & admittendi huiusmodi respectus fuit, quia inuenimus multas predicationes respectivas accidentales, quæ non desumuntur ex solis transcendentibus respectibus, ut esse patrem, si millem æqualem, &c. neque etiam ortæ sunt ex aliqua apprehensione aut fictione intellectus, sed ex rebus ipsis, in quibus existunt formæ, à quibus tales denominationes & predicationes oriuntur. Neque etiam tales denominationes sunt extrinsecæ, id est ab extrinsecis rebus aut formis desumptæ, nam res non dicitur similis alteri per quod in altera est, sed per id quod in se habet: & sic de cæteris. Hinc ergo intellectum est, huiusmodi denominationes desumi à quibusdam respectibus resultantibus ex coexistentia plurium rerum habentium ad id sufficiens fundamentum: quorum munus solum est referre & ordinare unam rem ad aliam, ita ut una alteram respiciat ratione alicuius fundamenti, quod in ea supponitur. Et hi respectus, quoniam peculiarem modum habent efficiendi, in proprio prædicamento collocati sunt.

XX.

Addo vero, hanc communem sententiam: & rationem eius faciliorem & verius similem fieri, si dicamus has relationes prædicamentales non esse novas res, aut modos reales ex natura rei distinctos ab illis rebus in quibus fundari dicuntur, sed illam res duplicem habere modum denominandi: unum per se, & (ut ita dicam) ex primaria institutione sua: alium quali resultantem ex coexistentia unius rei cum alia Prior modus denominationis, vel est omnino absolutus, vel si includat respectum, erit transcendentalis, qui sæpissime non postulat coexistentiam alterius extremi ad quem tendit, & quādo illam requirit, non ideo est, quia talis respectus confurgat quasi per accidens ex coexistentia talium extremorum, sed quia talis res est per se instituta ad actualiter exercendum aliquod munus circa aliam, quod exercere non potest nisi circa rem existentem: & hoc modo explicata quedam differentia relationū transcendentium supra tacta, optima est. Posterior vero denominatio est peculiari modo respectiva, & ex suo genere accidentalis, quia quod una res coexistat alteri, præcise spectando conceptum & rationem coexistentiæ, & extra rationem uniuscuiusque rei: & ideo denominatio etiam, quæ requirit hanc coexistentiam non ob aliam causam, nisi ut ex ea resultet talis denominatio, accidentaria est. Et ideo licet in resumatur ab eadē entitate, tamen, quia accidentaria

est, habet sufficiens fundamentum distinctionis, ut intellectus concipiat illam entitatem ad modum duarum formarum. Ac Denique, quia denominatio illa ex rebus ipsis sumitur, sufficit etiam, ut ratione illius speciale prædicamentum accidentis realis & respectivi constituitur. Hoc ergo modo videtur sufficiens ratio reddi & prædicta diuisionis, & constitutionis prædicamenti ad aliquid.

Hic vero occurrebat difficultas Theologa de relationibus diuinis, quomodo ad illas applicari possit doctrina data, & ad quod membrum dictæ diuisionis reuocandæ sint. Sed hæc disputatio ad nos non spectat, neque oportet ut prædicta omnia in illis relationibus locum habeant, quia illæ relationes non sunt accidentales, sed substantiales. Certum est tamen non esse relationes tantum secundum dici, sed secundum esse: neque esse proprie & in rigore relationes prædicamentales, quia substantiæ sunt infinitæ, & altioris ordinis, ideoque in nullo prædicamento collocantur: unde neque etiam habent illam imperfectionem seu modum essendi per resultantiam ex fundamento & termino, vel sunt, vel esse ut ratio producentis, verbi gratia, paternitas, vel per se producuntur per propriam productionem, aut (iuxta nostrum modum concipiendi loquamur) componuntur & formaliter loquendo, per se attinguntur per ipsas origines, ut filiatio, & processio passiva. Sunt ergo illæ relationes altioris ordinis, eminenter complectentes quiddam perfectionis, & proprietatis, necessariæ ad verum respectum realem, reperiuntur in respectu transcendentali, & prædicamentali, seculis imperfectionibus.

SECTIO V.

Quenam sit essentia propriaque definitio ipsius ad aliquid seu relationis prædicamentalis.



Vt hæcenus disputauimus fere pertinent ad explicandam & definiendam questionem an sit relatio realis prædicamentalis, de qua hic agimus: obiter tamē multa attingamus, ex quibus facilius nobis erit essentiam huius relationis, & definitionem, quam Aristoteles in hac re approbat, explicare.

Relationis prædicamentalis definitio.

Dicendum ergo est relationem (de sola prædicamentali, iam est sermo) esse accidentem, cuius totum esse est ad aliud esse, seu ad aliud se habere, seu aliud respicere. Hæc definitio sumitur ex Aristotele in lib. Prædicamentorum. c. de ad Aliquid, ubi duas designat definitiones eorum, quæ sunt ad aliquid, quæ solum in uno verbo differunt. Prior est, ea esse ad aliquid, quæ id quod sunt, aliorum esse aut ad aliquid aliquo modo dicuntur. Posterior est, ea esse ad aliquid quorum esse est ad aliquid se habere. Tota ergo differentia est in verbo illo, dicuntur. Quod quidem præsertim in y Philosophorum frequenter usurari solet pro verbo essendi, ut ipsemet Aristoteles dixit: *Qualitatem esse quales quidam dicuntur*: & ideo multi volunt non esse admodum curandum de discrimine aut diuersitate inter illas descriptiones. Nihilominus tamen iuxta mentem Aristotelis constat illas esse diuersas, & in priori verbum, dicuntur, sumptum esse cum rigore & proprietate, ac præterea sub distinctione in illa definitione positum esse, ea esse ad aliquid, quæ id quod sunt aliorum sunt, vel aliquo modo aliorum esse dicuntur, ut indicetur, non esse de ratione relationis ut sit ad aliud, sed ut sit vel dicatur: & hoc voluit Aristoteles in secunda definitione, corrigere, ut in propria definitione prædicamenti ad aliquid solum relationes secundum esse, & non relatiua secundum dici comprehendantur. Ex illa

Quæ sit ratio
affertur
ad relatio-
nes prædicamentales.